

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)

rijs ac multiplicibus Spiritus sancti donis ecclesiam toto orbe terrarum colligi, regi, conseruari, & Iesum sacerdotem, & Zorobabel ducem populi Iudaici imprimis cumulatè ornari disputant: quæ accommodatio etiam non inconcinna est. **DVÆ OLEÆ SEV SPICÆ OLIVARVM** sunt duo filij olei astantes Domino omnis terræ, videlicet Iesus summus Sacerdos, & **ZOROBABEL** princeps, pleni donis Spiritus Dei, cuius consilio & robore confirmati, templum & urbem, seu ecclesiam & politiam Iudaicam feliciter instaurabunt.

I I I I. Alia etiam Allegoriæ candelabri aurei & lucernarum considerentur, tradita à Iohanne Euangelista Apocal. 1. Candelabra septem, quæ vidisti, sunt septem ecclesiæ. Significat enim candelabrum quod est receptaculum luminis, loca opaca illustrantis, & latè splendorem & lucem suam spargentis: Ecclesiam catholicam & præcipuè doctores & ministros ecclesiæ, qui acceptam à Christo sole, lucem veræ doctrinæ, in publico ministerio spargunt, & pulsas tenebris ignorationis Dei, peccati & mortis, lucem veræ agnitionis **DEI**, veræ consolationis, iusticiæ & vitæ æternæ in cordibus auditorum accendunt, & sua fide, ac confessione veritatis diserta, & perspicua errorum refutatione, alijs imbecillioribus prælucent: eosq; in vera luce veræ de Deo doctrinæ confirmant. Has lucernas affuso oleo foueri & ali oportet .i. Spiritus Dei sanctus, per ministerium verbi, sonans ex ore ministrorum, efficax est ad illuminationem cordium & salutem omni credenti. Vsitatissimè enim in sacris literis **OLEVM** significat Spiritum sanctum & vnctionem seu dona Spiritus sancti, quibus vngimur in Sacerdotes & reges **DEO** & patri nostro, & ad necessaria vocationis officia rectè instruimur.

Vtitur huius capitis Zachariæ phrasi Iohannes Euangelista etiam in 11. cap. Apocalypsis, cum inquit, Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus 1260. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu **DEI** terræ stantia. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum, & deuorat inimicos eorum. Hanc concionem de Propheta Hefia & Henoch quidam intellexerunt, qui ante extremum diem in terras redituri, & sua voce Antichristum refutaturi sint. Sed Malachiæ dictum, Euangelistæ ipsi Luc. 1. & Matth. 11. de Iohanne Baptista interpretantur. Et Syracides de Enocho nihil aliud scribit, quàm placuisse eum **DEO**, & sua in cælum translatione omnes homines, de iudicio & vita post hanc vitam certò secutura docere. Simplicissimè igitur intelligantur duo **TESTES** & duo candelabra, omnes pij doctores & ministri Ecclesiæ, qui legatione diuina fungentes, lucem veræ de **DEO** doctrinæ, à Prophetis & Apostolis in duobus Testamentis tradita, latè toto orbe terrarum spargent & propagabunt, & Antichristi errores & Idola, & omnes Ecclesiæ hostes igne verbi diuini repellent & profligabunt. Sed hæc ex vndecimo capite Apocalypsis studiosi reperent.

Caput V.

T conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce Volumen volans. & dixit ad me:

VII. VISIO
VOLUMEN
VOLANS.

E Quid tu vides? Et dixi, Ecce ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum: & dixit ad me, Hæc est maledictio egrediens super faciem omnis terræ, quia omnis fur ex eo sicut illud (dictat) absoluetur, & omnis iurans ex eo sicut illud absoluetur. Educam illam dicit DOMINVS exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leua oculos tuos & vide, quid est hoc quod egreditur. Et dixi, Quidnam est? Et dixit: Est EPHA seu medimnus egrediens. Et dixit, Hic est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & mulier vna sedens in medio Epha, & misit massam plumbeam in os eius. Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui, & leuauerunt Epha, inter terram & cœlum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt Epha? Et dixit ad me, Vt ædificetur ei domus in terra Sinnear, & stabiliatur & ponatur ibi super basim suam.

VII. VISIO
MEDIMNVS
SEU EPHA.

EXPLICATIO QVINTI CAPITIS.

Dvæ Visiones capituli quinti, altera Voluminis volantis, altera Medimni, in quo mulier, Impietas, sedet: significant, restituta Ecclesia & Politia Iudaica, secuturum esse volumen impiorum dogmatum seu corruptelarum veræ doctrinæ & aliorum scelerum, propter quæ rursum DEVS horribiliter totam gentem puniturus sit. Sicut euentus ostendit, statim post Iudæ Maccabæi tempora, hypocriticam & impiam Phariseorum & Sadduceorum doctrinam in hoc populo extitisse, & latè postea dominatam, & Christo & Apostolis aduersatam esse: Ideoq; tota vrbs & Politia Iudaica per Romanos tandem delata est.

Omnibus autem temporibus hoc in Ecclesia accidit, vt accensa diuinitus & illustrata ac vigente aliquantisper veræ doctrinæ luce, rursus sequantur obscuraciones & tenebræ doctrinæ, & priores errores nouis *πεο-
αίματι*

χίμαροι fucati reducantur: vel alij noui prioribus deteriores succedant: ut nostra ætate, post lucem Euangelij à Luthero rursus accensam, statim eo mortuo, non modo volumen impium, cui nomen Interim fuit, latè Germaniam peruolitasse, verum etiam sub nomine Lutheri, doctrinam scriptis illius planè contrariam in præcipuis aliquot articulis propagari adhuc videmus. Itaq; Christus ipse & Apostoli post traditam veræ doctrinæ summam, statim adiungunt admonitiones de cauendis falsis Doctoribus & veræ doctrinæ corruptelis. Acto. 20. Attendite vobis & cuncto gregi, in quem vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim noui hoc, quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues in vos, non parentes gregi. Et ex vobis ipsi exorientur viri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate. Colof. 2. Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo ambulate, sic ut radices habeatis in illo fixas, & in illo superstruamini, confirmeminiq; per fidem, sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione. Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. Philip. 3. Pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos, qui sic ambulant, sicut habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimici Crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum deus venter, & gloria in dedecore ipsorum. Et Matth. 7. Cauete vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces, à fructibus ipsorum cognoscetis eos.

Hunc Christi & Apostolorum morem Zacharias etiam seruat, qui cum de instauratione Ecclesiæ & Politicæ Iudaicæ hæctenus concionatus esset, nunc admonitionem de secuturis corruptelis doctrinæ & poenis adiungit, quare ad omnia ecclesiæ tempora pertinet. Semper enim magnum volumen & maledictum examen impiarum & fanaticarum opinionum & dogmatum, cum norma verbi diuini pugnantium, & tamen speciem sapientiæ eximiam habentium, in toto mundo, & in eo etiam cœtu, qui titulum habet ecclesiæ, circumuolat, & viua docentium voce ac scriptis latè sparsum & propagatum, & audissimè arreptum, circumfert corda hominum velut fluctuantia quouis vento instabili. Ac duo fines sunt præcipui, ad quos impiæ doctrinæ & traditiones humanæ diriguntur. Primum ad turba seu auaritiam & cumulandas prætextu religionis diuitias & opes, ut de Phariseorum doctrina Matthæi 23. dicitur: Væ vobis scribæ & Pharisei hypocritæ, quia deuoratis domos viduarum, idq; prætextu longarum precum, propter hoc grauius puniemini, &c. Ita Pontificiam religionem & præcipuè Missarum & Monasteriorum ceremonias, tantum aucupia pecuniæ, opum, & regnorum mundi fuisse videmus: & in nostris ecclesijs multi principes & nobiles prætextu Euangelij hoc præcipuè quarunt, ut bona ecclesiarum rapiant. Deinde ad periuriam seu violationem obedientiæ D E O iuxta ipsius mandata debitæ, & impiam doctrinam & mores nomine & prætextu verbi diuini excusandos & ornandos. Hanc contumeliam sui nominis seuerissimè punit D E V S. sicut hic minatur, se in lucem prolaturum esse, huius voluminis & pseudoprophetarum, furum, & mendacium impietatem, & horribili excidio totam domum & congregatio-

nem eo-

rum eorum esse consumturum, sicut Iudæorum domus Ierosolymitana, horrendo exemplo paucis post Christi resurrectionem annis deleta est.

Alteri Visioni de Medimno ^{ἑφά} Ephā, quam mensuram Ebraeis tria sata seu 432. ova, seu 72. sextarios continere, & cum nostra mensura, cui a seapha nomen est, æquali ferè Attico medimno congruere scimus: eadem Schöffel. ferè interpretatio cum priori potest accommodari, vt Ephā seu Medimnus significet cœtum doctorum & gubernatorum, qui se oculos vniuersæ terræ, & duces cœcorum, & lumen eorum qui in tenebris sunt, doctores insipientium & magistros infantium esse gloriantur. In horum medio sedet Mulier venusta specie, & ^{ἡ ἁγιωσύνη καὶ ἡ δόξα} egregie comta, cui nomen est Impietas seu impia doctrina, & impij mores, hypocrisi sanctitatis, iusticiæ & pietatis fucati: & massa plumbea, seu obstinatione & pertinacia ingrauari, vt eijci & euelli ex impiorum animis nullo modo possint. Talis fuit cœtus gubernatorum populi Iudaici, vsq; ad postremum excidium Ierosolymæ. Postea Medimnus à duabus mulieribus alatis in terram Sinear seu Babylonis auectus est. i. similes errores & corruptelæ veræ doctrinæ de persona & officio filij Dei in vtraq; Babylone basin suam posuerunt: Duæ enim præcipuæ sectæ impiæ in orbe terrarum dominatæ sunt, Mahometica, cuius Caliphas seu sacerdos summus Babylone sedem suam habuit iam annis 900. seu vrbe Roma late in reliquum orbem terrarum propagata est. Alij Iudæos interpretes secuti, has duas mulieres, ad Imperium Persarum & Græcorum accommodant, à quorum regibus vt à Cambyse, Ocho & postea ab Antiocho Epiphane & alijs sæpe duriter Iudæi afflicti sunt. Alij ad Iudæos ante captiuitatem Babylonicam hæc pertinere, & Medimno seu Ephā impietatem & peccata gubernatorum: duabus verò mulieribus, duo regna Israël & Iudæ significari aiunt, quæ ambo in terram Sennaar seu Babylonem abducta sunt.

Caput VI.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia, equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes. Et respondi & dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc Domine mi? Respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur vt stent coram Dominatore omnis terræ. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis, & albi egressi sunt post eos, & varij egressi sunt ad terram austri. Et fortes exierunt, & quærebant ire,

VIII. VI.
SIO.
QUADRI-
GAE.